



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofurti, 1684**

10 Noes Lamechi justi Filius. Anathema.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

NOE S  
LAMECHI FILIUS.

ANATHEMA.

Aedesdum, Viator,

Quam cernis Tholo suspensam Trabem  
Votivum invictæ Navis frustulum est;

Quæ nec velo acta, nec remige.

Semel omnes Mortales in Orbem novum trajecit;

Miraris? Majora audies.

Mali amores bonos mores infecerant.

Ætatem vitiis anteverterant homines,

Nondum adulti, jam adulteri.

Argumentum deformitatis erat pudicitia,

Non pudicitiae deformitas.

Non diligenti manu mittenda erant fulmina,

Quacumque caderent, in scelestum casura.

Eo denique sorduerat Tellus,

Ut dilui non posset, nisi diluvio.

Urus in corrupto seculo, integer esse ausus est Noe.

Ut scias, magna inter Virtutia

Magnæ locum esse Virtuti.

Hic frustra auditus vindictæ Praeco,

Malè feriatos diu terruit,

Serò supplices futuros in suppicio tam fero,

Itaq; desperatâ Cæterorum salute, consuluit suæ.

Nam Protobro Numine,

Ut inelectabile Undarum obsidium eluctaretur.

Arcam pro Arce molitur,

Ibi sanctâ cum Conjugè, Liberis, Nuribus,

Novus at navus abditu Nauta.

Vide quam mala fuerint tempora;

Totam Orbis pietatem trabs una sustinuit.

Ibi divino delectu Animantium vivarium fecit.

Ut reliquæ cum Hominibus perirent Ferae,

In quarum ingenia transferant Homines,

Increscunt undecunque ferales Undæ.

Deflunt, superfluunt, circumfluunt,

Ut Orci mancipia plectant, maria emancipantur;  
 Ut pereant homines, tabescunt nubes;  
 Ut terras obruat, Cœlum ruit.  
 Solventur cum Gregibus Populi;  
 Rotantur cum populis Urbes,  
 Interit cum Urbibus Orbis.  
 Nē quid ibulum vivat, aquæ plectuntur quæ plectunt;  
 Nam Maria ipsa in diluvio pereunt,  
 Dum sua nomina amittunt.  
 Quale spectaculum, si superfuisset spectatores?  
 Sola hæc indomitum Océanum infedit Machina,  
 Alterius Orbis spem claudens.  
 Lusit annuo in naufragio centenaria navis,  
 Unica in Ialo salus:  
 Donec, quæ omnia merserat, emersit terra;  
 Et suffocatis flagitiis Orbis respavit.  
 Itaque speculatrice Columbâ, pacis internunciâ;  
 Omnim hominum Portitor Noës  
 In Orbem alium descendit.  
 Prodiere abdita illa meliorum gentium exemplaria,  
 Feræ ipsæ, humano ex conubertio minus feræ,  
 Suis saltibus redditæ,  
 Tum ex Arcâ ad Aram procedens,  
 Verus Dencalion,  
 Etatis primæ, postremus, secundæ primus  
 Victimæ pro nculo solvit:  
 „Et hoc Ratis residuum pro Anathemate suspendit,  
 „Disce Viator: immersibilis est vera virtus:  
 „Medio in Ponto Portum inveniet.

*C H A M  
N O E F I L I U S.  
D I R e E.*

Voveo te tuis manibus,  
 Navare mancipium Chame,  
 Cui provida Faça,  
 Calidum nomen pro stygmate inussere.  
 Quid enim Chami vocabulum, nisi ardor impurus?

Apag